

96

mentari orbata, relicta solâ parte crassâ ad tertiis; sibi super & saepe copioso abundant, commodam huic humoris præbent materiam. Unde Horst. tract. d. Scorbust. l. 2. obs. med. inquit: non mirum esse, in Hollandiâ, inferiorisq; Saxonie partibus ac regionibus maritimis, scorbuticum malum tam familiare esse, cum ipsum fumum ferè devorent. PANIS item, ex Secali vel vetustate vel pluviis ferè corrupto, à furfuribus non bene liberato, confectus; vel submucidus; vel diurnâ asservatione, vel infumatione etiam, exiccatus ac arescens. LEGUMINA pleraque huic humoris generando sunt apta, excepto hordeo & avenaceis; præsertimque flatibus excitandis commoda: quod Fien. l. d. flat. c. 8. docet. FRUCTUS quoque omnes, exceptis paucis, damnantur; imprimis vero immaturi. OLERA itidem, Brasifeca cum primis, & ea fermentata, magis nociva multum. Ova vero indurata, oleoque ac butyro frixa, ut & bellaria omnia ex placenterum tortarum genere, planè prohibita sint. Lactis quoque usum nocivum ijs esse, qui tensa habent hypocondria, Hippocr. aph. 64. S. 5. docet. Caseus itidem; vetustus cum primis, non admittendus. Nec inscitè Horst. part. l. l. 2. obs. med. obs. 13. monet: à nimium salitatem ac aromati satis abstinentem in hoc affectu esse. Sal n. præterquam quod juxta Gal. l. 3. d. fac. alim. c. 41. nimiam siccandivim habeat, & coagulandi principium in se continet. AROMATA vero majori quantitate usurpata, aestum istum vasorum augent, ac majorem, ariditatem ijs inducunt. EX POTULENTIS mustum crassum, VINUM austerum, acidum, ac in locis impuris, soloque multum tartareæ materiæ continente productum, in vappam versum, pendulum, ac alioquin vetustate corruptum. CEREVISIA vero ex impuris aquis cocta, non defecata, plurimum hujus malitiae conferunt. Et omnino ut Sen. l. 3. pr. med. p. 5. S. 1. c. 3. monet: diætæ errores multum in hoc malo inferunt damni; varietasque ciborum optima ejus mater, sola hujus causa existere potest, nullo in visceribus præsentem vitio. Non autem solum cibi pravi succi, chyli vitiosi causa sunt; sed & ex bono cibo ac potu, ventriculus naturâ male constitutus ac debilis, ut diætæ errores ferre non possit; vel diurno victus errore, vel nimia ingluvie & cibi ac potus quantitate obrutus; uti Scholz. in Consil. & Mattbiol. dat. 282. docet, vel à liene prayum alimentum.

D 2 z. 1. 1. 1. eidem